[S]Equit̄ de euo q̄d ſic diffiniri pōt. Euum ē mēſura habētium principium: & non finē. Et notandum ē q̄d quidam dicunt ꝙ ſicut tp̄s in uno. ſ. in motu primi mobilis: quo motu meſurātur oēs motus īferiores: tāq̄ ſui generis minimō & ſimpliciſſimo: & p conſequēs ē mēſura motus primi mobilis: ſic euum ē in uno euiterno & ſimpliciſſimo: quo oīa alia euiterna mēſurant̄. Alii

aūt dicunt ꝙ nō: sed quodlibet euiternū: suū hēt euum. Nullum.n.euiternum cā ē alioꝝ: sicut motus primi mobilis cā ē alioꝝ motuum. Ex supradictis colligi pōt: ꝙ angelus q̄tum ad substātiam ē in euo: q̄tum ad agere simpliciter: sicut ē in cognitione uesptina ē in tpe. Quantū uero ad bene & beate agere: sicut ē cōtēplari & frui ē in eternitate. & hec de parte prima dicta sufficiant.



Incipit secunda pars de celo & mūdo. Capi. .i.

Q Via dictum est de corpore mobili secundum se in librō physicoꝝ. Dicēdum ē cōsequēter de corpore mobili contracto Et primo de ingenerabili & incorruptibili quod est celum: ut enim dicit Ari. in principio physicoꝝ. Ex uniuersalibus ī singulari oportet puenire. Vnde pueri appellāt oēs uiros patres: & feminas matres. Posterius aūt determinant horum unūquodq;. Primo ergo ostēdēdum ē ꝙ unus ē mundus corporalis. & non plures. Secūdo ꝙ celum ē finitum. Tertio ꝙ oīa corporalia sunt ī celo. Quarto ꝙ

celũ nõ ẽ elementũ nec elemẽtatũ. Quinto dicendũ ẽ de nobilitate celi respectu rerum corporalium inferiorum. Sexto de motu.

Quod unus est mundus. Capi. ii.

[Q]Vod tm̃ unus mundus corporalis sit & non plures Aris. sic ꝓbat. Ponamus ꝙ duo sint mundi. Aut ille alius mũdus erit huic similis in rebus: aut in nõie tm̃. Si erit similis ĩ rebus ista terra: erit similis illi terre & econtrario. Et illa aq̃ similis isti aque: & sic de aliis. Sed que sunt eiusdẽ nature tẽdũt ad eũdẽ locũ: ergo ista terra & illa tendũt ad eundẽ locũ. & ista aqua: & sic de aliis. Sed q̃cũqȝ tẽdunt ad eundẽ locũ sunt eiusdẽ mũdi: ergo oẽs res sunt unius mũdi: ergo tm̃ ẽ unus mũdus corporalis & ñ alius. Si dicat̃ ꝙ ille alius mũdus ẽ similis huic in nõie tm̃ ergo cũ nõ sint alie res q̃ res huius mũdi: nõ erit ille mundus realis uel corporalis: sed tm̃ itellectualis: siue architippus de quo nõ est dubium quin sit.

Quod celum est finitum. Capi. iii.

[A]Nteq̃ ꝓbemus celũ eẽ finitum. Primo notandum ẽ ꝙ sicut dicit Ari. in. iii. physicorum. Infinitũ multis modis dicit̃. Vno mõ dicit̃ ĩfinitũ qd̃ ĩpossibile ẽ trãsire ex eo ꝙ nõ ẽ aptũ natum trãsiri: ut ẽ uox iuisibilis: & sic dicit̃ ĩfinitum negatiue q̃si nõ finitũ siue nõ terminatũ: & sic deus dicit̃ ĩfinitus. Alio mõ dicitur ĩfinitũ trãsitũ hñs: sed impfectũ: q̃uis. n. sit aptũ hẽre trãsitũ: nõ tñ hẽt: sicut qñ aliq̃s trãsit aliqd̃ spaciũ: sed nõ ꝑuenit ad finẽ: & sic dicit̃ ĩfinitũ priuatiue & his duobus modis aliqd̃ ẽ ĩfinitũ actu. Tertio mõ dicit̃ ĩfinitũ scd̃m appositionẽ sicut ĩ q̃titate discreta. Quarto mõ dicit̃ ĩfinitũ scd̃m diuisionẽ sicut ĩ q̃tate cõtinua. Quĩto mõ dicit̃ utroqȝ mõ sicut tps. Et his tribus modis nõ dicit̃ ĩfinitũ actu: sed tm̃ potẽtia & scd̃m hoc diffinit̃ ĩfinitũ: sic ĩ eodẽ. Infinitũ ẽ cuius q̃titatẽ accipientibus semp ẽ aliqd accipe extra. Restat ꝓbare ꝙ celũ nõ ẽ ĩfinitũ actu. Et prio ꝓbat̃ gñaliter ꝙ nullũ corpus ẽ ĩfinitũ actu sic. Oẽ corpus hẽt supficiẽ: & oĩs supficies ẽ terminus: ergo oẽ corpus est terminatũ: sed oẽ termĩatũ ẽ finitũ. ergo oẽ corpus ẽ finitũ: & exĩde põt ĩferri: sic sed celũ ẽ corpus: ergo celũ ẽ finitũ. Itẽ spãliter ꝓbemus celum eẽ finitũ. Supponamus igit̃. qd̃ ĩferius ꝓbat̃ ꝙ oẽ corpus ẽ ĩ celo & nullũ extra inde sic: iter oĩa corpora nobilius ẽ celũ. Est. n. ingenerabile: & ĩcorruptibile uirtutẽ habẽs actiuã respectu ĩferiorum. Omne ãt agẽs nobilius ẽ patiente sicut dicit philosophus: sed corpori nobiliori debet̃ forma nobilior: sed forma spica nobilior ẽ oĩbus aliis formis siue figuris corporalibus ꝓpter sui capacitatem & interminabilitatem. quia nõ habet

principiũ: neq; finẽ: & nõ una sũpficie cõtẽta. Est enĩ spera figura plana unica sũpficie cõtẽta: ergo sperica forma debet celo: ergo celum ẽ sphericũ siue rotũdũ. Preterea nos uidemus ꝙ qñ luna ẽ semiplena est arcualis. Illa aũt figura nõ ẽ nisi in circulo uel a circulo. Circulus enim solũmodo ẽ in corpore rotũdo: ergo luna ẽ rotunda. Eadem rõne sol & oĩa alia corpora celestia sunt rotũda: ergo celum ẽ rotũdum. Exĩde ꝓcedat ulterius sic. Sed corpus sphericũ ẽ in cuius medio ĩtelligit̃ punctus a quo oẽs linee ducte ad circũferẽtiam sunt equales: ergo celũ habet medium: & omne mediũ habet extrema: sed qđ habet extrema est terminatum siue finitũ: ergo celum ẽ finitum. Item celũ ꝓbat̃ ẽẽ finitum in comparatiõe ad motũ: & mẽsurã ipsius motus q̃ ẽ tp̃s. Omne enim qđ mouet̃ totaliter ĩ tp̃e certo siue finito ẽ finitũ: sed celũ mouetur totaliter in tp̃e certo siue finito: qa in uno die naturali: ergo celum est finitum. Quod aũt motus infinitus non possit mẽsurari tp̃e finito: sic demonstrat̃. Sit illud tp̃s a b & diuidat̃ ꝑ quattuor ptes. Vna pars tp̃is mẽsurabit unã ptem motus: & alia aliã: & sic de reliquis. Motus aũt cũ sit infinitus nõdum totaliter mensuratus ẽ a tp̃e finito: ergo motus infinitus nõ mensurat̃ tp̃e finito. Eodem mõ demonstratur ꝙ motus finitus nõ mensurat̃ tp̃e ĩfinito diuidẽdo motũ ꝑ quattuor ptes. Proportionabilia enim debent ẽẽ motus & tp̃s: sicut subiectum & ꝓpria passio ipsius: ita ꝙ neutrũ excedat reliquũ. & sic si tp̃s mensurãs motum ẽ finitũ: & motus ẽ finitus. & si motus ẽ finitus: & corpus qđ mouet̃ est finitum. Restat ergo ꝙ celum est finitum.

Quod omnia sunt in celo & nihil extra.

m Odo ergo ꝓbare debemus ꝙ oĩa corpora sunt ĩ celo & nullum extra. Et primo ꝓbabimus ꝙ nullum corpus est extra celum naturaliter. Secũdo nec accidentaliter nec uiolẽter.

Quod nullum corpus sit extra celum naturaliter: sic ꝓbat̃. Tria sunt genera corporum. s. celum elementum: & elementatũ. Quod celũ nõ sit extra celũ: patet qa nihil ẽ extra seipsum: ergo celũ nõ ẽ extra celũ. Similiter ꝙ extra celũ non sit elementum: patet quia inter omnia elementa terra est inferior supra quam aqua supra quam aer: ergo eadem proportione ignis est super aera. Cum ergo omnia elementa sint sub igne & ignis sub celo: consequens est ꝙ nullum elementum est naturaliter extra celum. Item grauia naturaliter tendũt deorsum ad centrum. Leuia sursum ad circũferentiam quod est celum nõ ultra: ergo nullum elementum est extra naturaliter. Similiter patet ꝙ nullũ elementatum est extra celũ. Omne enim elementatũ constat ex elemen

tis: sed nullum elementum est extra celum: ut supra probatum ē: ergo nullum elementatum est extra celum: & sic patet ꝙ nullum corpus ē extra celum naturaliter. Eodem modo patet ꝙ nullum corpus ē extra celum accidentaliter siue uiolenter. In quocūqꝫ enim loco ē aliquod corpus naturaliter in eodem possibile est eē aliquod corpus accidentaliter siue uiolenter: ut terra naturaliter est deorsum ignis uiolēter. Similiter ignis naturaliter est sursum terra uiolēter: sed extra celum nullum corpus est naturaliter ut probatum est: ergo nullum corpus est ibi uiolenter. Et sic patet ꝙ nullum corpus ē extra celum. Et hoc est qđ dicit Damascenus. Quod celum est continentia uisibilium & inuisibilium creaturarum.

Quod celū nō ē elemētum nec elemētatum. Capi. iiii.

Iam debemus ostēdere: ꝙ celum nō ē elemētum nec elemētatum. Quod non sit elementum patet: qm̄ de proprietate omnis elemēti ē habere in se cōtrarietatem: & agere in suum contrarium: si cōiungit̄ ei corrumpendo ipsum si uincit: & generādo in materia speciē suā. Si ergo celū esset elementum: cum omnia elemēta se habeāt ad celū sicut pūctus ad totam terrā: iam oīa dudum corrupisset. & oīa essent celum quod nō uidemus. Eodem modo patet ꝙ celum nō ē elementatum. Omne enim elementatum minus est elementis ex quibus componit̄: sed celum maius est omnibus elemētis: ergo nō ē elementatum. Item simul patet ꝙ celum nō est elemētatum: nec elemētum. Omne enim tale habet motum rectū hoc est deorsum in medium: uel sursum a medio. Sed celum nō habet motum rectum sed circularem. Ergo non est elementatum nec elementum. Si dicatur ꝙ motus rectus est ei naturalis: sed circularis est accidentalis. Contra motus accidentalis intendit & remittit. Si ergo motus circularis esset ei accidētalis: intēderet̄ & remitteret̄. Hoc autē non uidemus esse in celo: quia motus celi semper est uniformis. Ex predictis iam patet ꝙ celum non est generatum. Omne enim quod generat̄: generat̄ a principio cōtrario: uel a principiis contrariis. Vt dicit Aris. in primo de celo & mūdo. Plato tamē dicit in Thimeo quod est generatum: sed intellexit ꝙ est generatum. i. quo ad habens principium uel causam sui. Ex predictis etiam patet ꝙ celum nec calescit: nec frigescit: qa non ē elementum nec elementatum. Iste autem sunt proprie qualitates elementorum. s. calidum & frigidum: humidum & siccum. & cū nō recipiat huiusmodi impressiones: cōstat ꝙ non ē magis uetus q̄ fuerit a principio sue creatiōis. & ēt patet ꝙ q̄uis ex aggre

gatione luminis quod a sole puenit. nos sentiamus calorē: tū corpora celestia nō sunt calida: sed tū dicunt calida: ut sol: uel frigida ut Saturnus: uel humida ut luna p effectum. Agunt enim corpora superiora in inferioribus: & nō econtrario: ut patet. Videmus enim ꝙ qn̄ luna hēt plenitudinē sui luminis: mare crescit: & in decremēto lune: mare decrescit. Vnde patet ꝙ luna ē cā & mater humiditatis: propterea dicit Ari. in lib. de ꝓprietatibus elemētoꝝ: ꝙ qn̄ oēs planete fuerūt adunati i signo piscium: factum ē diluuiū. Quādo aūt adunati fuerūt in signo gēminoꝝ: facta ē magna mortalitas. tū semp itelligas ibi iudiciū dei ordinante hoc diuina uolūtate. Item patet ex predictis ꝙ celū nō ē coloratū: quia color causat ex qualitatibus elemētorum.

De nobilitate celestium corporum. Capi. v.

Nobilitas celi siue corporum superioꝝ manifesta ē ex eleuatione sui sup oīa corpora inferiora. Quanto enim corpus ē nobilius: tāto debet ei altior locus. Item nobilitas corporum superiorum patet ex figura siue forma ipsorum. Que ē rotunditas. Rotunditas enim nobilior ē omnibus aliis figuris: sicut dicit Aris. in lib. de celo & mundo: ꝙ patet ex eo quod omnes alie figure habent terminos. Rotūda autem figura habet formā circularem & circulus nō habet pricipium: neqꝫ finē: sed i se terminatus ē. Quod aūt oīa corpora supiora sint rotunda ostēsum ē supra. Et ob hoc quia celum ē rotūdum: oīa corpora inferiora sunt rotūda: & ob hoc finita Omne enim rotūdum habet medium: & omne mediū habet extrema & qđ habet extremū finitum ē. Quod aūt oīa corpora inferiora rotunda sint manifestū ē. Ignis enim cum cōtineat a celo qđ ē rotūdum habet formā rotūdā: sicut dicit Ari. in lib. celi & mundi: & ob hoc finitus ē: & sic de aliis. Nota tū ꝙ terra discorporata ē: qa deus uoluit homines habitare in ea. Itē nobilitas corporum supiorum patet ex impassibilitate eoꝝ: sunt. n. ingenerabilia & impassibilia: & incorruptibilia: uirtutē tū actiuam respectu inferiorum habētia.

De motu celi. Capi. vi.

Et quia celum ē nobilius oībus inferioribus corporibus ꝓpter hoc debetur ei motus nobilior. s. circularis secundū naturam ppetuus: ab omni pena & fatigatione alienus. Quod autē motus celi sit perpetuus: manifestum ē ex eo ꝙ principium mouens ipsum: non pōt separari ab eo. Illud enim principium: aut ē intra: aut extra. Si extra tunc motus celi esset accidentalis siue uiolentus: sed omne uiolētum: siue accidētale faciliter transit sicut di-

cit Aris.i li.de celo & mundo.Si ergo motus celi eēt uiolētus: iam du
dum trāsisset.Restat ergo ꝙ illud principiū ē intra:sed oē qđ est intra
aliud nō pōt ab eo separi siue remoueri nisi ꝑ passionē uel aliquā con
trarietatem:sed celū ē īpassibile nō habēs cētrarietatē aliquā:ergo illđ
pricipium nō remouet᷑ ab ipso:ergo motus celi ē ꝑpetuus. Item ꝙ
motus circularis siue celestis sit ꝑpetuus scđm naturam:patet ex eo ꝙ
nō hēt aliquā ītensionē uel remissionē:sed semꝑ ē uniformis: nec ma-
gis tēdit ad acqrendū istud ubi:q̄ illud. Preterea motus celi nō tēdit
ad aliquē finē acqrēdū:ergo ꝑpetuus ē scđm naturā. Ex ꝑdictis patet
ꝙ motus celi:nec ē naturalis:nec uiolētus:nec aīalis. Quod motus
celi nō sit naturalis:nec uiolētus:patet ex eo ꝙ oīs talis motus est mo-
tus rectus.Ponamus ergo qđ aliqđ corpus:siue naturaliter siue accidē
taliter uel uiolēter moueat᷑ ꝑ aliq̄ lineā siue spaciū finitū oē.n. spaciū fi
nitū ē.Illud ergo corpus ꝑtrāsit aliqñ spaciū illud cū sit finitū aut ergo
stabit ibi:aut nō.Si stabit ergo qescit ī pūcto:ergo motus ille nō ē ꝑpe-
tuus.Si nō stabit.ergo redibit:qa nō ē ultra ꝓcedere:aut ergo redibit
in eodē tpe:aut ī alio.Si ī eodē:ergo similis in eodē tpe ibit & redibit
ergo iam duo opposita erūt ī eodē:qđ ē īpossibile. Si ī alio ergo qes
fuit ī medio illoꝝ tēporū ergo cessauerat ille motus:ergo nō fuit ꝑpe
tuus.Sed ꝓbatū ē ꝙ motus celi sit ꝑpetuus scđm naturā:ergo nō ē na
turalis nec uiolētus. Itē motus naturalis ītendit᷑ uel remittit᷑:motus
celi nō:ergo nō ē naturalis. Itē Auicena ꝓbat ꝙ motus celi nō ē natu
ralis.qa motus naturalis ē ab aliquo ī aliqđ:& semꝑ tēdit aliqd acqre-
re:quo acqsito qescit illđ mobile.Motus āt celi nō acqrit aliqđ ī quo
qescat:ergo nō ē naturalis.Itē hoc idē ꝓbat᷑ alia rōne:qa ea q̄ mouent᷑
naturaliter.& sūt eiusdē spēi:& nāe mouet᷑ uersus eādē partē sicut oīa
grauia descēdūt ad centrū:& oīa leuia supius:ergo cū celū sit eiusdem
spēi & nāe:si eius motus eēt nālis moueret᷑ uersus eādem ptē:& nul-
la eēt ibi diuersificatio sicut ꝓbatū ē ī astronomia:& Aris. dicit ī li. de
celo & mūdo ꝙ octaua spa mouet᷑ ab oriēte ī occidēs.Et alie septē spe
mouent᷑ cōtra īcessum primi mobilis:ergo nō mouet᷑ uersus eādē ptē
ergo motus celi nō ē nālis. Idem ꝓbat᷑ sic:motus celi ē pricipium nāe
& reꝝ nāliū qa mediāte illo motu oēs ille res nāles generāt᷑ & corrum
punt᷑ & alterāt᷑.Illud āt qđ est cā alicuius fortius & nobilius ē eo cuius
est cā.Et ita cū motus ille sit pricipiū nāliū nō ē subiectus nāe:ergo nō
est nālis sed supnālis.Quod āt motus celi nō sit uiolentus: ꝓbatū est
supra.Oē.n.uiolētū uelociter trāsit. Similiter ostendit᷑ ꝙ nō sit aīalis
qa dicit Ari.ꝙ motus aīalis ñ ē sine pēa & labore:nec sine terminatōe

motus aũt celi ẽ sine pœna & labore: & sine terminatiõe: ergõ motus nõ ẽ aĩalis. Itẽ motus aĩalis ĩtendit̃ ĩ medio: motus celi nõ ĩtendit̃: ergo nõ ẽ aĩalis. Preter hos ergo motus oportet põere aliũ motũ celi. s. cercularẽ ut dicit Ari. ĩ li. de celo & mũdo de quo dicit similiter Auicena ꝙ nõ ẽ simpliciter aĩalis: sed ꝑ similitudinẽ: qa sicut aĩa hũana mouet corpus humanũ & corpus obedit ei. Ita angeli ex eo ꝙ cognoscũt & uidẽt suũ creatorẽ leticia & desiderio mouẽt illas speras. ita ꝙ pria spera q̃ ẽ maxima sperarum: ex tali desiderio mouet̃ a primo ordĩe. Vñ appellat semp illũ motũ: motũ desiderii siue desiderium. Et sc̃da spera mouet̃ a secũdo ordĩne: & sic de singulis ꝑ ordinẽ. Vñ ipe dicit ꝙ angeli sunt q̃si aĩe: nõ tñ sunt simpliciter aĩe. & ideo ille motus celestis dicitur quasi aĩalis: nõ tamẽ dicit̃ simpliciter aĩalis.

De numero celorum. Capi. vi.

Et nota ꝙ octo distinguũt spere celestes. Quarum prima ẽ in q̃ stelle fixe sunt q̃ sunt innumerabiles sicut dicit Ari. Sc̃da spa ẽ Saturni in q̃ solũmodo ẽ saturnus. tertia Iouis. quarta Martis. qnta Solis. sexta Veneris. septima Mercurii. octaua Lune. Vnde uersus. Octo sunt spere: quas sic poteris retinere. Celũ stellatum Saturnus: Iuppiter: & Mars: Sol: Venus: has sequit̃ Mercurius ultima Lune. Sub luna uero nõ sunt nisi res corruptibiles: sicut Ignis & Aqua & alia corruptibilia: sicut dicit Macrobius. Tholomeus aũt assignat aliam speram sup istas: in qua sunt angeli & res spũales & ĩcorruptibiles: & illa ẽ immobilis. theologi aũt distinguũt septem celos. s. Aereũ: Ethereũ: Igneũ: sydereum: Cristallinũ: Empyreum: Celum trinitatis: Quorum numerus sic põt accipi. Quia celum uel nominat rem creatam uel increatã. si ĩcreatam: sic ẽ celum trinitatis. Si creatã uel nominat rẽ corruptibilẽ: uel ĩcorruptibilẽ. Si corruptibilẽ: uel q̃tũ ad extrema uel q̃tũ ad mediũ. Si q̃tũ ad extrema: sic ẽ celũ Aereũ & Igneũ: si q̃tum ad mediũ: sic ẽ celũ Ethereũ. Si uero noĩat rẽ creatã ĩcorruptibilẽ. tũc iterum uel q̃tũ ad extrema: uel q̃tũ ad mediũ. Si q̃tũ ad extrema: sic ẽ celũ sydereum & celũ empyreũ. Si q̃tum ad mediũ: sic ẽ celũ cristallinũ. Et nota ꝙ motus octaue spe dicit̃ uniformis. Motus ãt planetarum & aliarum sperarum ĩferiorum dicit̃ eẽ duplex sicut motus solis ẽ duplex. s. tropicus siue diurnus & reuolutio ĩmobilis ĩ cõtrariũ primi mobilis: siue motus ꝓprius. Motus tropicus dicit̃ cõuersiuus uel cõsensiuus. Vnde oẽs planete ĩ astronomia dñr tropici: qa retrogradãt a motu primi mobilis. Qui motus cũ tãto d̃siderio ẽ: ꝙ oẽs alias speras secũ reuoluit. Motus ãt q̃ dicit̃ reuolutio ĩmobilis: ẽ ꝓprius & naturalis plãetarum. Quare

aut spe planetarum moueatur ut dictum est contra icesum primi mobilis: diuerse a diuersis assignantur rones. Quidam.n.dicunt quod hoc fit ad retardandum motum primi mobilis. Nisi.n.ut dicunt: motus ille retardaretur: pp nimiam uelocitatem sui totum frangeretur: uel iam diu fcm eet. Alii aut dicunt quod hoc est pp hoies: & alia que sunt sup terram. Quia si motus primi mobilis qui est cum tanto desiderio non haberet aliquam retardationem: nunquam aliquid posset crescere sup terram neque hoies possent uiuere. Et hec de celo dicta sufficiant.

Incipit tertia pars.s.de elementis.

Ostquam dictum est corpore mobili ingenerabili & incorruptibili. Dicendum est de corpore mobili generabili & corruptibili. Et primo de simplici. Postea de composito. Corpora aut generabilia: & corruptibilia simplicia sunt elementa. Vnde nunc de elemetis dicendum est: que distincta sunt sub celo in suis sitibus. Ita quod illud quod est subtilius aliis propinquius est celo: sicut ignis quia subtilior est aere: ppinquior est celo quam aer: & aer quam aqua: & aqua quam terra. Primo ergo ponamus opiniones philosophorum antiquorum de elementis. Secundo dicemus de primis qualitatibus elementorum. Tertio de generatione & corruptione elementorum adinuicem. Gratia cuius et dicemus de alteratione: & aliis spebus motus ipsorum. Antequam ponamus opiniones de elemetis, Notandum quod multum multis modis dicitur. Dicitur.n.uno modo principium artis coplexum ut illud. Omne totum est maius sua pte. Et illud de quolibet dicitur affirmatio uel negatio & de nullo ambo simul & similia: Vnde dicit Aris.in lib.physico. Dispositio ueritatis & sciętię: est in his oibus que sunt pricipia: uel elemeta: ubi appellat elemeta pricipia. Dicitur et elemetum: ut dicit philosophus .v. methaphisice. Coe oibus rebus: quod est pricipium cuiuslibet: & i quolibet primum sicut littere dnr elemeta uocis significatiue ad placitum: & similiter in aliis. Dicitur et elemetum scdm specialiorem itellectum: cuiuslibet corporis sensibilis mixti pricipium: & scdm hoc diffinitur elemetum in .v. methaphi. Elemetum est illud ex quo coponitur res primo: & est i eo: & non diuiditur scdm formam.i.spem i aliam forma: uerbi gratia. In mixto est aqua cuius qlibet pars est aqua: & similiter in aliis elemetis. & secundum hoc distinguuntur quattuor elementa.s. Ignis: Aer: Aqua: Terra: que oia in materia coicant: sed non scdm formas.s. Calidum: Frigidum: Humidum: & siccum. Et ideo dnr cotraria roe suarum formarum: unde subiecte nihil est cotrarium secudum materiam: sed secudum formam substątie aliquid est cotrarium.

Opiniones antiquorum De elementis.

De elementis diuersoꝝ diuerse sunt opiniones. Quidam.n. ponebāt plura eē elemēta. Quidam unum. & inter eos q ponebant plura elemēta: adhuc fuit diuersitas. Empedocles: & Aris. ponebāt quattuor esse elementa q̄ dicta sunt: Attamen empedocles nihil dicit certum de hoc ponebat.n. quattuor elementa esse principia materialia oīum corpoꝝ: & ponebat duo formalia principia.s. litem: & amicitiā. Et dicebat ꝙ qn̄ qualitates ille: siue differentie.s. calidū: frigidū: humidū: & siccū separabāt ab eis cōglutinabant i unā massam pp amicitiā. Postea illis differētiis siue qualitatibus aduenietibus: separabant pp litē: & hoc cōtigebat post magnū annū.i. post decē milia anoꝝ. Ex dicto ergo empedoclis nesciebat utꝝ illa elementa eēnt pricipia illius masse uel massa eēt pricipiū elemētoꝝ. Democritus & leutipus ponebāt corpora idiuisibilia: eē principium oīum corporū. Vnde & ea athomos appellabāt: q̄ & ifinita dicebāt: & suā positionē sic ꝓbabāt. Possibile ē corpus diuidi i ifinitū: ponat ergo aliqđ corpus diuidi in ifinitum. aut ergo remanet aliquid: aut nihil. Si nihil ergo aliqđ corpus cōstaret ex nihilo. qđ ē ipossibile. Si aliqđ remāet: aut ē corpus: aut nō corpus. Si nō corpus: ergo aliqđ cōstaret ex nō corpore. hoc iteꝝ ē iposs bile. Si āt ē corpus: aut ē diuisibile: aut idiuisibile. Si ē diuisibile: hoc ē cōtra positum. Positum.n. est qđ diuideret in ifinitū: & usqꝫ dū diuidi nō posset. Si āt idiuisibile habeo ꝓpositū.s. ꝙ corpora idiuisibilia sunt pricipia oīum corporum: huic aūt ꝓbationi Ari. respōdēs dicit ꝙ corpus ē diuisibile in ifinitū potētia nō tamē actu. Ipsi aūt itellexerūt corpus eē diuisibile in infinitum actu.i. diuisibile usqꝫ ad ultimū: ut ulterius diuidi nō posset. Anaxagoras aūt ifinita ponebat elemēta: & dicebat cōtrariū Ari. & empedoclis. Dicebat eni ꝙ illa quattuor elemēta: ignis: aer: aq̄: terra eēnt elemētata: & oīa alia eēnt elementa.s. lignū: lapis: caro &c. Et ꝙ ita eēt: ꝓbabat p hunc modū. Tu dicis ꝙ illa sunt q̄ttuor elemēta & ex illis cōstat caro & cōsimilia. Aut igit illa caro q̄ cōstat ex eis ē i eis: aut nō. Si nō ē in eis: ergo ex nō entibus cōstaret ens: qđ falsum ē. Si uero i eis ē caro: ergo eadem rōne & ossa & medulla &c. ergo illa q̄ sunt intus sunt elemēta & illa quattuor.s. ignis: aer: aqua: terra: sunt elementata. Itē Anaxagoras dicebat ꝙ quodlibet eēt i quolibet. Dixit.n. ꝙ i carne erat os: & iteꝝ i illo osse caro. & iteꝝ in illa carne nerui. & iteꝝ aliqđ aliud i neruis: & ita usqꝫ ad ifinita Ari. aūt improbat eius opinionem i principio physicoꝝ dicēs. Aliqua caro ē minima caro: ita ꝙ si diuideret illa caro: iam nō eēt caro ut dicis. In illa ergo carne minima ē os: & i illo osse alia ca-

rō: ergo illa caro q̄ ē in osse ē minor caro alia: qa oē quod cōtinet̄ ē minus eo qd̄ cōtinet: ergo illa caro ē minor minima: ergo aliqd ē minus minimo qd̄ ē īpossibile. Relinquit̄ ergo opinionē eē falsam. s. Anaxagore. Eorum uero q dicebāt unum eē elemētum. Quidā dicebānt illud eē mobile. Quidā q̄ eēt īmobile sicut Parmenides & mellissus: q dicebāt unū tm̄ eē pricipiū. s. unū ens cōtinuū & īmobile. Et pbat ī hūc modū q̄ eēt īmobile dicētes. Aut aliquid mouet̄: aut nō & c. ut supra in pria parte de motu ē dictū. Eraclitus āt dicebat q̄ eēt unū solum elemētatū materiale & mobile. s. ignis. Et q̄ essent duo principia formalia. s. rarum & dēpsum. & pbabat ī hunc modū. Omne corpus ē mobile & oīs motus ē ab igne: qa nullū ē corpus adeo mobile: ergo ignis ē elemētatū oīum corporum īferiorum. & scd̄m qd̄ cōdēpsat̄ fit aer: & qn̄ plus cōdēpsat̄ fit aqua: & qn̄ iterum fit magis spissum uocat̄ terra: q̄re solum mō ignis ē elemētum.

De primis qualitatibus.

Estat nunc dicere de primis q̄litatibus cōtrariis elementorum q̄ sunt calidū: & frigidū: humidū: & siccū: qbus determinata sunt elemēta. Ignis. n. ē calidus & siccus: aer humidus & calidus. Aqua frigida & humida. Terra sicca: & frigida. Quattuor enim qualitates p̄dicte. Sex faciūt cōbinatiōes. Quarum quattuor p̄dicte sunt possibiles: due uero īpossibiles. s. calidū & frigidum. Humidū & siccū: quare illis duabus cōbinatiōibus nullū elemētū determinatū ē. Cōtraria. n. simul ī eodē eē: ē īpossibile. Dicunt̄ āt iste quattuor qualitates prime: qa nō fluunt ab aliis: sed oēs alie qualitates siue cōtrarietates pueniunt ex istis. Vnde caliditas nō puenit nec depēdet a siccitate: nec ecōuerso: & sic de aliis. & q̄ hoc sit uerum: sic pbatur. Quia si caliditas depēderet ex siccitate: ergo qcqd eēt summe calidum eēt summe siccū. Et sic ignis q ē summe calidus: eēt sūme siccus qd̄ falsum ē: sicut pbabit̄: īferius p diffinitionē siccitatis: qa terra ē sūme sicca. Eadē rō ē ī aliis: & sic patet q̄ una cōtrarietas nō depēdet a reliqua quare ut p̄dictū ē qualitates prime dn̄r. Secūdarie aūt sunt q̄ causant̄ ab istis. s. durum & molle: dulce & amarū: albū & nigrū: & consimilia. Reuertamur ergo ad pprietates & diffinitiones istarum qualitatū. s. calidum: frigidū: humidū: & siccū. Calidū sic diffinit̄ ab Ari. in lib. de generatione & corruptione. Calidum ē cōgregatiuū homogeneorum: & disgregatiuū etherogenorum. Aggregat. n. aurū cū auro & argentum cū argēto. Et separat aurum a ferro: & plūbū ab argēto. & dn̄r homogenea ab homos qd̄ ē unū & genus. Inde hōgenea dn̄r q̄ sunt eiusdē generis uel spēi. Etherogena dn̄r ab etheros qd̄ ē diuersum: & genus. Inde ethe

rōgena dīr q̄ sunt diuersoꝝ generꝝ uel spērum. Obiicit tñ cōtra diffinitionē p̄dictā: qa uidemus ꝙ adueniēte calore solis: cōngregat paleā cū luto: q̄ sūt etherogena nō ergo disgregat illa. Ad qd̄ rñdet: ꝙ p̄ricipalis actus calidi ē calefacere. Secūdarii sunt cōdēpsare disgregare subtiliare: & huius. Et isti actus secūdarii ñ sunt diuersi ex diuersitate agētis: sed ex diuersitate materieꝝ. In q̄busdam.n. materiis hēt subtiliare sicut in cera: & q̄busdā cōdēpsare: sicut ī luto. Diffinitio ergo p̄dicta data ē in cōrporatiōe ad actū secūdariū: quo ad q̄dā materiā: nō quo ad oēm. Frigidū āt ē cōgregatiuū hōgeneoꝝ: & etherogenoꝝ. Vnde cōgregat auꝝ cū auro & auꝝ cū argēto: qd̄ nō facit calidū. imo uidemus in estate: ꝙ caro rarefit: & aperiūt pori & humiditas naturalis exit & sudor. In hyeme aūt cōstringit caro: ita ꝙ humiditas naturalis nō exit: & inde ē ꝙ celebratior ē digestio in hyeme: q̄ in estate. Nota tñ ꝙ principalis actus frigidi ē in frigefacere. Secūdarii aūt sunt congregare homogenea & etherogena: & alii q̄ plures unius.n. rei unus ē actus principalis: sicut dicit Auicena: plures uero secūdarii. Vnde Ari. viii. physicoꝝ dicit qd̄ calidum pōt frigefacere: & frigidū calefacere: uerbi gratia: Adueniēte calore aperiūt pori: & humores naturales exalant. ita ꝙ corpus interius frigescit. Similiter frigus cōstringit corpus & retinet humores intus: ita ꝙ corpus efficit calidum. Isti aūt effectus sūnt p̄ accidēs. Humidum ē quod ē male terminabile termino ꝓprio. Bene aūt terminabile termino alieno. Vnde patet ꝙ aer humidior ē q̄ aqua qa magis ē fluxibilis q̄ aqua. Ex hoc aūt patet error eorū q dicūt ꝙ omne corpus ē porosum. quia si aer eēt porosus haberet foramina & cōcauitates ad quas terminaret: & sic eēt bene terminabilis termīo ꝓprio qd̄ falsum ē. Siccū āt ē qd̄ ē bene terminabile termīo ꝓprio male aūt termino alieno. sicut ē terra lapis & similia. Et nota ꝙ sicut dicit Ari. humiditas est cā grossiciei qa īducit grossitudinem humoꝝ. Siccitas aūt ē cā subtilitatis: quia ex siccitate ꝓuenit subtilitas. Itē nota ꝙ ut dicit Aris. p̄dictaꝝ qualitatū due sunt actiue. s. calidum & frigidum. Et due sunt passiue. s. humidū & siccū. Que due dīr passiue quia non sunt adeo uehemētis actionis: sicut alie due: alioquin nō contingeret ex terra generari aquā: nec econuerso. Illa.n. elemēta cōueniunt in frigiditate: nisi ergo inter siccū terre & humidū aque eēt passio & actio nō contingeret ipsa generari adinuicē. Generatio.n. non fit nisi in habētibus cōtrarietatē actionis & passionis. Eodē mō ītelligēdum ē de aere & igne. Similiter & alie due. s. calidum & frigidū: dīr actiue: non ꝙ oīno nō sint passiue: sed quia minus sunt passiue q̄ humidū & siccū

Alioquin ex aqua nō fieret aer: quia conueniunt in humido: nec ex terra ignis: quia conueniunt in sicco.

De generatione elementorum.

e T quia oīa elemēta generantᷣ adinuicē: ex unō.n. pugillo terre fiunt decē aque: & ex uno aque: decē aeris. Et ex uno aeris decem ignis. Dicēdum ē nunc de generatione ipsoꝝ pscrutādo prīo an fuerit generata uel creata. Sup quo Ari. in lib. de celō & mundo ponit opinionē: que dicitᷣ fuisse Ptholomei: quod elementa primo fuerūt facta p motū celi: contra ꝙ sic obiicitᷣ aut ille motus fuit in aliquod corpus: aut in materiam nudam. Si in materiā nudam: hoc ē impossibile quia materia nunq̄ ē nuda: quod sic ōstenditᷣ. Sit ita ꝙ aer agat in ignē corrūpēdo ipsum. Aūt igitᷣ materia erit nuda aut nō si nō habeo ppositū. Si sic ergo nō appropriata alicui loco: qa si eēt in loco: esset sub corporeitate: ergo non est ratio quare ignis uel igneitas detᷣ ei in loco illo: magisq̄ in alio. Sed nos uidemus ꝙ ubi est actiō illa: ibi ē positio igneitatis ergo iam appropriatur alicui loco & sic est sub corporeitate: ergo materia nunq̄ ē nuda. Si uero agat in corpus aliud preter elemētum: ergo illud corpus fuit ante elementa: ergo elemēta non fuerūt prima: & sic nō essent elemēta qđ falsum ē. Relinquitᷣ ergo ꝙ elemēta non sunt generata: sed creata qđ concordat cum Augu. q dicit ꝙ oīa .i. oēs maiores partes mūdi: simul creata sunt ī materia & forma. Post hoc sciēdū ē ꝙ duplex ē gñatio .s. gñatio simplex & gñatio qđam nō simplex: gñatio simplex est gñatio substantialis. Generatio qđam nō simplex ē quelibet trāsmutatio siue alteratio. Vñ generari simpliciter pōt sic diffiniri. Generari ē expoliari materiam a forma substātiali & īduere aliā formā substantialē. Cū ergo omnis expoliatio sit a contrario: oportet gñationem & corruptionem fieri mediantibus pprietatibus primaꝝ qualitatum. Vnde ēt patet ꝙ materia prima ē īgenita & īcorruptibilis: qa si eēt generata hoc eēt ex alia materia: ergo materia hēret aliā materiā: & sic eēt pcedere in infinitū hoc aūt ē īpossibile. ergo pma materia nō ē gñata sed creata. Et nota differētiā īter gñare: creare & facere gñare ē facere siue pducere aliquid ex aliquo. Creare ē ex nihilo aliq d facere. Facere uero ē cōe ad utrūq̧. Ex pdictis patet ꝙ illa elemēta facilius trāsmutantᷣ adinuicē: q̄ conueniūt in aliq̄ qualitate q̄ illa q̄ in nulla cōueniunt. Facilius ē.n. uincere unam cōtrarietatē q̄ duas. Vnde terra facilius trāsmutatᷣ in aquā q̄ ī aerē. Cōuenit.n. cū aq̄ in una q̄litate: cū aere uero ī nulla: & sic de aliis. Et hoc ē qđ dicit Aris. in prīo de gñatione & corruptiōe: qđ q̄cūq̧ hñt simbo-

lum.i. cōueniētiā adinuicē: uelox ē eo℞ trāsmutatio. q̄cūq; aūt nō habēt: tarda qa facilius ē unū q̄ multa transmutare. Et nota ꝙ generatio unius elemēti ē corruptio alterius: & ecōuerso. Vñ qdā dicūt ꝙ generatio & corruptio sunt idē ī subo uel suba diuersificant tñ scđm terminos: sicut eadē ē uia de thebis ad athenas: & ecōuerso dicunt tñ scđm terminos. Alii dicūt ꝙ nō sunt idē: & ꝑdictū uerbū glosant sic. gñatio unius ē corruptio alterius: & ecōuerso. i. ad gñationē unius elemēti sequit corruptio alterius: & econuerso.

Da motibus elementorum. s.

Equit de alteratione. Alteratio ē motus de una qualitate ad aliā qualitatē. Et ꝑ hoc qđ dico qualitatē tāgo qualitatē accidētalē sicut sūt sanitas: & egritudo rotōditas: & angularitas dulcedo. & amaritudo calidū & frigidū: & similia. Differt aūt alteratio a gñatione qm̄ alteratio ē mutatio de qualitate accidentali: ad qualitatē accidētalem. In gñatione uero ē mutatio de forma substātiali: ad formam substātialē. Itē ī alteratiōe necesse ē manere idē subiectū sensibile: in gñatione uero nō sed scđm totū fit trāsmutatio. subiectū sensibile: dico ꝑꝑ primā materiā: q̄ licet maneat eadē in gñatione: tñ scđm qđ talis ē nō est sensibile. Sequit de augmēto & diminutiōe: Augmentū sic solet diffiniri augmētū est motus de minori q̄titate ad maiorem q̄titatē & ecōuerso: diminutionē motus de maiori q̄titate ad minorem. Et nota ꝙ augmentās & augmentatum necesse est esse similia & diuersa. Similia qdem in materia diuersa uero siue contraria in formis. Cuius ratio est: qm̄ agentia & patientia necesse est esse similia: & diuersa. Augmentās aūt & augmētatum adinuicē agūt & patiunt. Quod aūt augmentum sit motus manifestum est. Oportet enim alimentum siue cibus transmutet & subintret formam carnis. s. carneitatem uel ossis. s. osseitatem & ꝓpter illam subintrationē dilatatur caro: siue os elongat siue imspissat. & tales actus. s. dilatatio & ceteri: sunt motus quare patet ꝙ augmentum ē motus. & econuerso patet diminutionem motum eē. Differunt aūt augmētum & diminutio ab alteratione. Quoniam alteratio attendit in qualitate. Augmentum uero & diminutio in quantitate.

De loci mutatione.

Equitur de loci mutatione. Mutatio loci est motus ab uno loco ad alium. Et talis motus est triplex. s. naturalis uiolētus & aīalis: de quibus quia dictum est supra transeundum ē ad dicendum de mixtione. & quia mixtionem ꝓcedit cōtactus Ideo primo uidendū est de cōtactu. tāgere siue cōtactus sicut diffinit

Aris. de generatione & corruptione dicitur multipliciter. Uno .n. modo dicitur cotactus quando aliquid tangit aliud sine medio: sicut in cotinguis quorum ultima sunt simul: sicut superficies tangit superficiem: & secundum hoc: quicquid tangit tangitur. Secundo modo dicitur tactus per similitudinem: secundum quod dicimus quod res tristabilis tangit nos: sed nos non tangimus eam & secundum hoc non quicquid tangit tangitur. Tertio modo dicitur tactus in cotinuis: quorum partes copulantur ad unum terminum coem: sicut partes linee tangunt se in puncto cotinuate secundum quod dicit Aris. in physicis quod inest puncto ut tangat: tactus primo modo qui est applicatio duarum superficierum sine medio: necessarius est ad actionem & passionem. Unde oportet ut quecunque agunt & patiuntur: tangant se: sicut ignis agat in aere: & calefacit ipsum: & aer calefacit digitum & agit in ipsum: & hoc modo est per cotactum. Unde dicitur quod cotactus est causa materialis adaptans actiones & passiones: sicut luciditas est causa materialis adaptans imutationes coloris.

De mixtione.

Equitur de mixtione. De qua primo notandum est quod duplex est mixtio. Quedam enim est ad sensum: sicut quando ponitur ordeum cum frumento: & ista quidem uidetur esse mixtio: & non est. Est & alia secundum ueritatem. Et illam sic diffinit Aris. in primo de generatione & cor. Mixtio est miscibilium alteratorum unio. Et nota quod omnia que sunt mixtibilia: oportet quod sint agentia & patientia. Agentia in eo quod diuidunt: patientia in eo quod diuiduntur. Unde patet quod illa que non habent cotrarietatem: non sunt mixtibilia: patet etiam quod elementa possunt misceri & facere ex se unum aliquid. Quoniam quodlibet elementum est contrarium alteri. Diuiduntur autem elementa in mixto non usque ad indiuisibilia. Omne .n. corpus est diuisibile: sed usque ad quasdam partes minutas uel particulas minimas a natura determinatas .i. usque ad minima secundum speciem. Item nota quod proprietas mixti est quod quelibet pars mixti debet esse homogenea .i. eiusdem speciei cum suo toto. Et si aliter esset: tunc mixtio secundum ueritatem non esset. Et nota differentiam inter copositionem: confusionem: & mixtionem. Copositio est quando utrumque copositorum manet in sua uirtute: & ponitur pars iuxta partem: sicut quando coponitur ordeum cum frumento. Cofusio uero est quando non proportionantur uirtutes partium: nec trahuntur ad speciem. Mixtio .n. est quando proportionantur uirtutes & trahuntur ad speciem. & hec de elementis ad presens dicta sufficiant.

Incipit liber methaurorum.

Dicto de corpore mobili generabili simplici. Dicendum nunc est de corpore generabili coposito siue de elementatis. De quibus primo notandum est. Quod quedam elementata sunt prime copositionis: sicut uapor resolutus & ex aqua & terra a calore solis:

siue maneat clausus in uisceribus terre: siue eleuet̄ i aerē: scd̄m plus & minus iuxta triplex interstitiū aeris: scd̄m ēt ꝙ causant̄ de ipō diuerse passiones: siue impressiones aeris. Qui. n. eleuat̄ sup terrā est principiū eorum q̄ fiūt in aere. scd̄m diuersa i terstitia. Sicut sūt Comete. Assub. Anaysel. i. impressio gn̄alis tonitrua fulgura corruscatiōes nubes pluuia grando nix pruina ros. Qui uero manet in uisceribus terre ipse calefacit fontes in hieme. Ipse ē ēt pricipiū terremotus. & ex eo gn̄antur corpora mineralia: sicut sulfur: ex cuius cōbustione calefiunt terme. i. balnea. Lapis: argentū uiuum: quod ē principiū oīum metallo℞. Que sunt septē. s. Plūbum: Stagnū: Es. Auricalcū: Cuprū: Argentū: Aurum Electrū āt nō ē simplex metallū. Quod q̄dē fit ab arte & a natura. Sed q̄d a natura melius. & ista sunt quattuor elemētata secūde cōpositiōis Sunt q̄dam elemētata media q̄ nec sunt sup terrā: nec sub terra. & horum q̄dam sunt infixa terre: sicut terre nascentia ut plāte arborum: & herbarum. & quedam non sicut aīalia. Ponūt tn̄ q̄dam media eē inter animalia & plantas: ut spongia marina: que radicibus nutritur ut plante & tactu sentit ut animalia. Sed horum principium uapores sunt uel per se cūgenerāt̄. Primo ut plāte ex seminibus: uel mediāte pluuia siue nutrimento. Nutriunt̄ enim terre nascētia ex mixtura terre & aque. & ista sunt tertie compositionis in qua compositione iam est aliquo modo confracta cōtrarietas que prohibebat elemēta prime compositionis & secunde habere animam. Vnde plante habent animam uegetabilem. & quia uapores sunt principia terre nascentium & ex terre nascentibus generantur humores alituum: ex q̄bus composita animalia nutriunt̄: & semen uel oua formantur de quibus animalia generant̄. Manifestum est ꝙ uapores sunt pricipia animalium irrationabilium que sunt quarte compositionis: & rationabilium. i. hoīum que sunt qn̄te compositionis. Et quia i animalibus irrationabilibus magis cōfracta est contrarietas q̄ in terre nascētibus. Ideo recipiunt nobiliorē aīam. s. sensibilem. In hoīe aūt quia maior ē temperantia: & minus de contrarietate secūdum actum. Ideo dispositionem habet corpus humanum ad nobiliorē & digniorē aīam q̄ alia: & ideo recipit animam nobilissimam. s. rationalē. & inter hoīes Xp̄s habuit nobiliorē: & digniorē qui ab instanti conceptionis sue habuit omnes thesauros sapiētie & scientie dei: non ad mēsuram sed ad plenitudinē: de cuius plenitudine nos oēs accepimus. Quia igitur homo inter alias creaturas sumā tēperantiam tenet: & ob hoc recipit aīam nobiliorē. Recte dicitur homo finis oīum creaturarū. Vn̄ Aris. in secūdo physicorū. Sumus. n. & nos

quodãmodo finis oĩum hoĩum aũt oĩum finis ẽ Xp̃s. Et quia hõmõ est finis oĩum aliarum creaturarum. Xp̃s ãt finis oĩum hoĩum. Recte dicit in psalmis. Xp̃s finis oĩs cõsumatiõis. In unione.n. diuine & humane nature: ordo uniuersitatis cõpletus ẽ. Fuit aũt ab eterno unio triũ psonarũ in una natura.s.patris: & filii & spũssancti. Et ĩ pricipio creatiõis angelice nature: fuit una natura in unã psona: ut patet ĩ angelo. Postea duarum naturarum in una psona: ut in hoĩe ẽ uidere: & ut principiũ rñdeat ultimo oportuit de rõne cõpletiõis uniuersi: ut sicut primo fuit uniõ triũ psonarum in una natura. Ita ultimo eẽt triũ naturarum ĩ una psona: q̃d cõpletũ ẽ ĩ xp̃o. Et cũ ip̃e sit unitus diuinitati: unit nos deo p fidem & caritatẽ: ut sic reducat hoĩem ad pricipiũ a quo factus ẽ. Et sicut diuĩa natura ẽ ubiq; essentialiter: q̄ appropriat̃ essentie diuĩe patris. Sic & ĩ sanctis p gratiã: q̄ appropriat̃ spũisancto. Et ĩ hoĩe xp̃o p unionẽ q̄ appropriat̃ filio. Est.n. unita diuĩa natura humane p filiũ. Sic natura xp̃i in celo localiter existẽs corrñdet ei q̃d ẽ esse ubiq;. & in pluribus altaribus sacramẽtaliter: corrñdet ei q̃d ẽ eẽ in scĩs p gratiã: & ĩ diuina natura eẽntialiter: corrñdet. tertio mõ p unionẽ. Nec tñ dicẽdũ ẽ q̄ xp̃s sit sexte cõpositiõis sicut puri hoĩes sunt q̃nte compositionis. Quia talis unio nõ dat ei aliquã nouã cõpositionẽ: q̃ opponat̃ simplicitati. & q̄a ex duabus naturis nõ fit una natura. Nõ ideo ẽ ibi mixtio: nec cõfusio nec cõpositio: sed uniõ: & ut supra dictũ ẽ. Compositio ẽ q̃n ex pluribus fit unũ remanẽtibus ptibus pricipalibus & secũdariis: ut ex pariete tecto: & fundamẽto fit domus. Cõfusio ẽ q̃n ex pluribus fit unũ remanẽtibus ptibus secũdariis: & nõ pricipalibus: ut ex modio frumẽti & ordei fit unũ. Mixtio uero q̃n ex pluribus fit unũ ñ remanẽtibus ptibus pricipalibus nec secũdariis: ut ex aq̃ & melle fit mixtio: & uocat̃ ydromel. Vnio ẽ q̃n plura ĩ sua natura cõueniũt ĩ aliquo: sic oẽs hoĩes uniũt̃ ad faciẽdũ unã spẽm hũanã: uel plures hoĩes uniunt̃ ĩ tractiõe nauis. Et due nature ĩ una psona: sic cõpositio elemẽtorum q̃dã sũt prie cõpositiõis: ut uapor q uirtute solis resoluit̃ &c. ut supra dictũ ẽ. Et no. q̄ hec q̃ncuplex diuisio elementorum: põt reduci ad bimẽbrẽ diuisionẽ sic. Quoniã elemẽtorum q̃dã sunt inaĩata: & q̃dã sunt aĩata. Itẽ inaĩatorum q̃dã sunt cãta imediate ab elemẽtis: sicut uapores. & q̃dã mediate sicut corpora mineralia &c. Itẽ aĩatorum q̃dã non mutãt locũ motu dico pgressiuo: sicut plãte arborum & herbarum: & q̃dã mutãt. & illorum. Quedã agunt̃ a natura: sicut irrõnabilia. Quedã uero uolũtate mouent̃ sicut rationabilia. De elemẽtis ergo inaĩatis prius dicẽdum est.

Incipit de uapore causa materialis. Capi. ii.

Edeamus igit ad uaporē ex quo cāt elemētata: tā gñata in sublimi: q̄ in uisceribus terre. Sciēdum igit oēm uaporē eē ab aqua uel a terra. Aer. n. uaporabilis nō ē. Aut enim rarificat ultra id qđ ē sue nature: & tūc stati ē ignis. Aut inspissat amplius: & tūc non ē uapor: qa uapor gñat p subtiliatiōnē & rarefactionē: sed aer tūc efficit aq̄ uel terra. Hic igit duplex uapor: ē cā materialis oīum eoꝝ q̄ i alto uel i imo gñant. Loca aūt gñtiōis sunt quattuor. s. Supior regio q̄ ex uicinitate ad ignem ꝓprio noīe a philosophis estus appellat. Et media zona siue regio q̄ uocat locus frigoris. & iferior ps aeris: q̄ est sup terrā hñs aliqd caloris & aliqd frigoris: q̄ uēter terre uocat. Supior aūt ps aeris pura & rara pp uicinū igne calida ē uehemēter. Et pp radios stellaꝝ atq; lumē ipsaꝝ: que sibi sunt uiciniora est luminosa & magis trāquilla & subtilis habet aūt uicinum lumē nō ab igne uicino: sed a uicinitate stellaꝝ. & quia umbra terre ita contrahit minorat: pp q radii solis diutius cōmorant in eo: & iō illa pars ē locus inflāmationis p se. Inferior. n. cum sit circa terram & sup eā hñs frigus ex se pp aquam & terrā. Calidū aūt ex repcussione siue reflexiōe aut ēt refractione radioꝝ ad solidum planū terre & aque: efficit illa pars nō inflāmans: sed quasi spirans uaporē sui: natura qdē phibēs: ne comburat uel icendat: ex reflexione aūt radioꝝ euocatā expirās ex se uaporē. Vltima siue inferior pars que ē circa nos tangit elemētum solidum quod ē terra politū planū & supficiem: sicut aqua: & iō fit hec reflexio radioꝝ magna: Vnde etiam maior lux generatur. Regio autē aeris per equidistantiam ab his quidem duabus sumpta: frigida ē ualde pp cām oppositam. Quia nec habet calorē ex uicino igne: nec ex radiorum reflexione: eo q radij non reflectunt ad transparēs: siue pulū uel diaphanum: sed ad solidum tm̄ & planum: & plus si fuerit tersum: sicut aque superficies: uel speculum uel aliquid aliud politū & planū. Et hec regio ē magis tenebrosa & obscura: qa caret cā utriusq; illuminationis: & iō ē tēpestuosa: & ibi generant: tempestates: niues & grandines. Et hec ē habitatio demonum & aereaꝝ potestatū: qbus ille locus caliginosus deputatus ē. Vnde dicūt sancti q cōmouēt uētos & tonitrua & huiusmodi: ad terrēdos hoīes: Regio aūt que media ē inter istā q̄ dicta ē: & locū habitatiouis. i. terre: q̄tum ē de se tēperate ē frigida & calida: suscipiēs ab utroq; distinctionē: p accidens tñ est ītēpate calida: quia uicinat uel uincitur ab īferiori regione i qbusdā tpibus. & intēperate frigida scđm q uicinat supiori i qbusdam aliis tpibus. Sic igit determinatum sit de materia in cōi uaporum: & de loco ipsorū

Causa aūt efficiēs impssionū in speciali ē multiplex: sed in cōi nō nisi duplex.s.calor & frigus. Calidū aūt duplex est.s.solis eleuando omnē uaporē.& calidū loci disgredando uel inflammando eleuatū. Calidū aūt solis prout sufficit ad psens: ē duplex.s.adurēs: & eleuans. Adurēs aūt est duabus de causis: una ē directa suppositio. Alia fere directa sole existēte in signis estiuis precipue circa tropicum estiualē ut sunt Gemini Cancer Leo Virgo. Tunc enim radii solis indirecte suppositis regionibus incidunt in terram: ad modum perpendiculi cadentes de centro solis: & refranguntur in seipsos & efficiuntur infiniti: & cōcludunt in terram calorem adurentem. Et ideo tunc nihil expirat in illis locis de terra: sed totum aduritur anteq̃ eleuetur. In locis aūt uicinis q̃ per latitudinem magis accedunt ad aquilonem: quanto plus recedunt a uia solis: tanto plus oblique respiciuntur & anguli radiorum magis ampliatur: & minor pro inde fit calor: ꝙ minus adurēs: & magis euocans spiramen euaporationis. & sic secundum latitudinem climatum a uia solis facile ē accipere proportionem caloris: plus uel minus adurentis. Frigus etiam determinatur duplex: est enim frigus constringēs & plus potēs constringere q̃ sol eleuare uel euocare. Et huiusmodi impedit omnem uaporationem constringendo poros terre & superficiē aque: ne radius incidens in ea possit attrahere. Est etiam frigus temperatum continens quidem solem ne incendat: sed non prohibēs ne euocet. & huiusmodi in terra causa ē latitudo regionum a uia solis: secundum latitudinem ab equinoctiali in meridionalē plagam. Tunc enim sol existente circa tropicum hyemalem siue in Sagittario Capricorno Aquario: ualde remouetur a climatibus septētrionalibus: & ideo radii solis non nisi ualde oblique respiciūt habitationem illorum climatum: quapropter uincit in illis frigus & abscinditur euaporatio ex cōtractione superficierum terre & aque. Hoc igitur iterum dictum sic ꝓportionabiliter intelligēdum in locis de causis efficiētibus uapores. Ex istis diuisionibus uaporum: locorum & causaꝝ determinatur oē quod in alto uel in imo hēt gñari. Facta tñ prius tali diuisione. Omne enim quod in imo uel in alto gñatur. Aut gñatur ex uapore sicco tantum aut humido tm̄: aut ex utroq;: si ex sicco tantū. Tunc materia oīs talis impssionis erit uapor terre. Cum aūt terra sit elemētum solidum frigidum p naturam siccum: ingressum in se calorē continet fortius. Quia solidum & incēditur facilius: quia siccum efficitut acutius penetratiuū: qa siccū non retundit de facili: & iō isto uapore diuiso p tria loca. secūdum calidius & minus calidum: causantur ex eo impressio-

nes ad minus undecim apparentes in aere. & de aliis si que alie apparebunt: erit simile iudicium.

De generatis a uapore sicco tantum. Capi. iii.

Si enim est ueheměter calidus & siccus: ptransit p duas regiones aeris. s. inferiorē. & mediā eo ꝙ frigus illaꝝ nō pōt conuertere ipsum: & transilit ad illam regionē q̄ dicit̄ estus: & ibi facit regiones qnoꝗ. Aut igit̄ in oībus suis partibus eq̄liter ē subtilis siue tenuis: aptus inflāmationi ex calore loci: aut īequaliter. Si ineq̄liter: aut hēt īferius multas partes terrestres dilatabiles aut non sed paucas. Si multa habet terrestria inferius: tunc ibi de necessitate dilatabitur. Terrestre aūt habundans repugnat eleuationi ad equalitatē aliaꝝ partiū. & calidum iteꝝ igneum rarificādo dilatat: & partes plus calide cōtinue plus intēdunt in accumē: & efficit̄ ipsum sicut colūna piramidalis. Et ꝑpter longinquitatē uidebit̄ de supiori eē diuisum: sicut ppendiculum qd̄ inferius habet massam: & continue in sublime cordam. Hoc igit̄ sic incēsum ab estu loci & ignis: dicit̄ a philosophis ignis ppēdicularis. Si aūt inequaliter subtilis ē & calidus. sed subitus nō habēs multa terrestria q̄ dilatari queāt p causam ꝑdictā: tunc totū iteꝝ eadē de cā iflāmabit̄: & uocat̄ lancea pp longum subtile qd̄ ꝑtenditur in figura & stat erectum: acumē habēs supra: sicut ignis ppendicularis. Si aūt ē equaliter subtilis bene tenuis equaliter aptus inflāmationi. Tunc ēt equaliter accēditur in oībus partibus. Aut igitur est equaliter disgregabilis a calore in oēm partē dimēsionis: & sic efficitur latum quasi rotondum natans in superficie aeris. Et illud ē quod a uulgo uocatur candela accensa. Licet enim latum sit in supficie: tamē uidetur rotundum & spericum propter longinquitatem nostri uisus. Aut ē equaliter subtilis: sed nō ē equaliter extēsibilis nisi in partē unā propter materie paruitatē: sicut cornu quod cum extēditur ad partē unam contrahit̄ ad partē aliam: ꝙ tūc uapor ille succensus: dicit̄ assub ascēdēs. Aut ē equaliter quasi subtilis: sed nō bñ continuus nec adherens sibi: sed una pars eius aliquātulum distās ab alia: & uidetur assub ascendēs post assub: sicut si euolarēt scintille de fornace. Et he qnoꝗ impressiones cōueniūt ī hoc: ꝙ oīa sursum euolāt in ignē: & nihil eorum descēdit deorsum. Si aūt uapor nō ē ueheměter calidus & siccus: tūc non pōt penetrare mediam regionē aeris: q̄ frigidissima ē. & tunc iterum causant̄ qnoꝗ impressiones de illo uapore. Aut. n. uapor ille ē calidus & siccus & bñ cōtinuus: cuius partes fortiter coniacēt. Aut ē disgregatus. Si disgregatus tūc pp calorē quē habet: qñ in aere iferiori

